



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis Plvrimorvm Maxime Illvstrivm Adornata

Visch, Charles de

Coloniæ Agrippinæ, 1656

Capvt VIII. Opinio Iudæorum, qui dicunt quod diuinæ sanctiones vt tunc,
non sunt mutandæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38433

renti sensu intellexerimus. Discreto itaque & diuino sensu hæc intelligenda sunt & discutenda. Si vero legem debito sensu accipimus, omnia legis mandata debita obseruatione obseruare poterimus; quædam ad litteram, & sine vilo figuratum velamine dicta esse accipiendo, quædam ad figuram, & profundo velamine obumbrata esse intelligendo; quædam ad tempus obseruari iussa sunt, quædam sine vlla temporum determinatione. Quæ enim alicuius Sacramenti prænunciatiua erant, & veritatis figuram faterentur, suo tempore, manifestatâ rei atque veritatis præsentia, oportuit vt eorum nõ remaneret prænunciatio & figura. Nam sicut ipso suo loquendi sensu vtimur verborum vicissitudinibus, dicendo, erit, quamdiu futurum est ipsum quod erit; prorsus omittentes in præsentia, & assumendo, est; cumque ipsum iam præterisse significantes, vtimur, fuit, sic in rebus prænunciatiuis alicuius Sacramenti, vbi præsens manifestatur Sacramentũ, eius iã superflue seruarietur figura, seu signum. Quæ alicuius ministerij significatiua non erant, sed seu fidei veritatem insinuant, seu charitatis ædificationem commendant, ea à Iudæis & Christianis, non ad tempus, sed in perpetuum seruanda sunt, eorumque transgressio nullatenus potest mala non esse.

CAPVT VIII.

Opinio Iudæorum, qui dicunt quod diuina sanctiones vt tunc, non sunt mutanda.

Item Iudæi sic opponunt: si Sermo Dei ad tempus seruandus est, eoque sermone annihilato, alius alio tempore obseruandus est, sicque per temporum vicissitudines diuinæ sanctiones mutantur, quo pacto ratum erit quod

dicitur, (a) *In æternum Domine permanet verbum tuum*: Et illud, (b) *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*? (c) *Quid autem interest, cur Deus hoc animal immundum iudicet, illud autem mundum? Hoc vt permittit, illo vt prohibeat?* (d) *Quis enim audiuit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, vt illud agi permittat, illud fieri prohibeat?* Iussis obsequendum est, & ei obsequi summa virtus est: prohibuit fieri, ergo non licet, ideoque si postea fiat, peccatum esse, ac dignum pœna debita puniendum: vt ergo seruemus litteram, figuras contemnamus; litteram, vt seruemus alterum. Quæ ratio ergo est damnare alterum? Seruemus ergo litteram, seruemus & litteræ figuram: maneat parus sensu nostro littera, maneat etiam & addatur spiritalis (si concessa sit nobis à Deo) mysticij latentis intelligentia. (e) *Abstineamus à porco, quia lex iubet*, abstineamus & ab eo, si quid est quod per porcum significatur peccatum; non aremus in Boue & Asino, quia legislator prohibuit, & si aliqua intellexerimus per Asini & Bouis copulam, fas est vitare, imò peccatum est non vitare. Ita & de cæteris. Ita enim lex adimplenda esse censetur, & adimpletur.

CAPVT IX.

Solutio Præmissorum.

AD hæc dicimus, quod sermo diuinus nullo modo annihilatur, diuinæ sanctiones non mutantur; (f) quia Christus non venit soluere legem, sed adimplere. Vnde ipse ait: (g) *Amen dico vobis, tota vnum, aut vnus apex non prateribit à lege, donec omnia fiant*. Non igitur vult eam soluere, sed adimplere. Lex prohibet homicidium, Christus iram & odium: lex prohibet adulterium carnis, Christus & ipsum appetitum cordis.

Ggg 2

Nobis

(a) *Psal. 118. v. 89.* (b) *Marci 13. v. 31.* (c) *Matth. 24.* (d) *Isaia 40. v. 13.* (e) *Leuitici 11. v. 7.* (f) *Matth. 5.* (g) *Ibidem. v. 18.*